



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

771. An, & qualiter provisio pura extinguat conditionatam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

Quaestio 770. An, igitur etiam illicitè aut invalidè à collatore in collatione beneficii à collatario exigatur iuramentum, v. g. de residendo, de non renunciando beneficio in favorem tertii?

Respondet primò Nav. apud Garc. *loc. cit. n. 30.* Item Ugolin & Paris, apud eundem *n. 31.* affirmativè, ed quòd talis videatur conferre beneficium cum diminutione, & intervenire hic conditio, modus vel pactum, quod iure non inest actui conferendi, vel recipiendi beneficium, quod redolet simoniam.

2. Respondet secundò: Garc. *à n. 32.* & maxime *39.* sub distinctione, nimirum procedere hanc Nav. doctrinam *conf. 37. de simon. n. 1.* si collatio fiat cum conditione, modo seu pacto præstandi postea talis iuramenti, citatque pro hoc *c. quam pio, l. q. 2. c. Araldus, 8. q. 3. c. fin. de pactis, c. sua nos. de simonia.* Non tamen procedere dictam doctrinam, sed licitam esse & validam exactionem talis iuramenti, si ante collationem exigatur tale iuramentum, præstandum ante eandem, v. g. dicendo, volo tibi conferre hoc beneficium, sed præsta prius iuramentum de residendo &c. aliàs non collaturus tibi beneficium. Imprimis enim in hoc casu non intrat regula de conferendo sine diminutione, ut patebit ex dicendis infra, Garc. *cit. n. 23.* neque exactio illa est illicita; quia iuramentum illud non est de re illicita, aut contra bonos mores. Garc. *n. 41.* nisi fortè exigere- tur ab habente jus ad beneficium, v. g. quia præsentatus; vel haberet literas in forma dignum, tunc enim videretur ei fieri injuria, exigendo ab illo iuramentum, ad quod non tenetur. Garc. *cit. n. 41.* qui tamen *n. 42.* subdit, id locum non habere in eo, qui in concursu pro parochiali est repertus dignior, sed posse ab illo exigì dictum iuramentum; ed quòd non videatur habere jus ad parochiam simpliciter, sed ex suppositione, quòd Ordinarius velit conferre seu eligere: nec tale iuramentum est invalidum; cum sit de objecto licito & honesto, & ob bonum finem, nempe ob utilitatem Ecclesie. Garc. *n. 43.* Nec denique intervenit in tali collatione propriè conditio, modus aut pactum; multòque minus ex tali iuramento ante collationem præstito, quia aliàs collator non vult conferre, dicit posse induci Simoniam; cum iuramentum illud non sit de faciendo aliquid in utilitatem ipsius collatoris vel alterius directè (quo casu, ut Garc. foret simonia, juxta *c. talia, 8. q. 3.*) ait idem Garc. *n. 34. & 40.* citans pro hoc Sanch. *de matrim. l. 1. d. 37. n. 4.* Idem cum Garc. tenet Laym. *in c. significatum. de prob. n. 5.* dicens: si conditio honesta & requisitum sit tale, ad quod instituendus vel collatarius rationabiliter & cum Ecclesie utilitate obligari possit, & ita exigatur, ut exinde collator nullum directè vel indirectè commodum temporale percipiat, desuper exigere promissionem vel iuramentum ante institutionem aut collationem non videtur illicitum; licet enim talia, cum novam obligationem afferant, ideòque pactationem contineant, in ipsa collatione exigì non posse videantur, non potest tamen damnari, si consuetudo aut statutum sit (vel etiam tum primò fiat) ut recepturi beneficium ante collationem super tali requisito honesto iuramentum edant, citat Laym. pro hoc Azor. *p. 1. l. 1. c. 5. in fine. & p. 2. l. 6. c. 9. q. 2. rationem dat, quòd id non censetur pactum, sed statutum, seu consuetudo, cui se conformare debent, qui beneficia consequi volunt.*

Quaestio 771. An, & qualiter provisio pura extinguat conditionatam?

Respondeo: dum quis impetravit gratiam sub conditione, v. g. mandatum est provideri alicui sub conditione, & dein non exspectato eventu illius conditionis, seu ante purificationem illius alteri sit provisio absoluta seu pura, extinguitur gratificatio illa conditionata priori facta, veluti ius debilius per jus fortius, Lott. *l. 2. q. 51. n. 38. & 49.* juxta *c. si pro te. de rescrip. Laym. in idem c. n. 1.* huius rei ratio dari debet, quòd conditio de futuro contingente suspendit quamlibet dispositionem & mandatum, ita ut ante non sortiatur effectum, quàm ea conditio event. Laym. *ibid.* Hinc etiam si posterior vi gratificationis pura impetravit canonicatum, antequam conditio, sub qua alteri facta gratia, impleatur, postmodum etiam in assecutione præbendæ tanquam potiore iure nixus, præferendus est priori impetranti gratiam sub conditione, & posterius recepto ad canonicatum, Laym. *loc. cit.* dicens, hunc esse casum *cit. c. si pro te.*

Quaestio 772. An, & qualiter provisio beneficii debeat esse certa, & non vaga aut dubia?

Respondeo, debere esse certam & determinatam, hinc fieri non posse sub disjunctione, v. g. dicendo: *confero Titio aut Caio;* dum enim voluntas conferentis, ex qua dependet, & vim habere debet collatio tanquam donatio, sit hac ratione indeterminata, nullus ex taliter disjunctivè nominatis provivus remanet, Azor. *p. 2. l. 6. c. 26. q. 6.* Castrop. *loc. cit. n. 10.* juxta *gl. in c. 2. de elect. in 6. ubi electio de postulatio sic facta, ut dubia & incerta reprobat. Huc etiam reducitur, dum collatio fit conjunctim, hoc est, simul duobus confertur idem beneficium, & sic unicum jus, idemque titulus duobus accommodatur, quòd fieri nequit, & graviter inhibetur *c. sua fraternitati. de præbend. Castrop. & Azor. l. cit. Laym. in cit. c. sua. n. 1.**

Quaestio 773. An, & qualiter necesse sit, ut collatio beneficii fiat palam?

Respondeo: tamen si collatio facta clandestinè & secretè suspicione fraudis non careat, Pirh. *ad tit. 12. l. 3. n. 2.* Castrop. *loc. cit. n. 9.* Garc. *p. 8. c. 4. n. 3.* citans Abb. & *gl. in c. consular. de off. deleg. v. adit lucem.* dum actus clandestini sunt suspecti, juxta *cit. c. consular. & contra clam dantes, vel benefacientes, vel judicantes iure est suspicio. Ita f. de i. ff. de iure fisci. l. non existimo. de administ. tutel. non tamen propterea collatio est nulla, sed valet; nec ideo est irritanda. *c. unico. ut Eccles. benef. sine diminut. conferantur. Pirh. loc. cit. Azor. loc. cit. q. 4.* Castrop. *loc. cit. Garc. loc. cit. n. 4.* citans Mascar. *de prob. cons. 176. n. 7.* Coraf. *de benef. p. 4. c. 1. n. 7. & 8.* Selv. *p. 3. q. 17. n. 4. & c.* Nec obstat textus *c. quia propter. de elect. quia specialè est electioni, quòd ea facta clandestinè non valeat. Garc. n. 5.* de quo & quando electio dicatur clandestinè facta, vide dicta f. de elect. *Quin & electio, in qua servanda non est forma dicti cap. quia propter. occultè & clandestinè facta valet, non secus ac collatio. Garc. n. 8.* citans Selv. *ubi ante. Nav. conf. 8. de elect. Baysum in directorio Electio- num. p. 3. c. 37. n. 3. & c.* Tamen si autem collatio secretè valet, adeòque ad ejus valorem testes non requirantur; ut tamen ea probari possit, & fides de ea quoquomodo fieri, requiruntur testes, vel saltem instrumentum collationis, sive ut collator literas pro-*